

Valla Manuales Laboratores, quippe ab unoquoque fumo binos administrare teneantur, laborque hic a 1. affuturi Mensis Maji initium summat, atque excluso Messis tempore, velut a gratuitis laboribus de lege etiam exempto, usque Festum St. Michaelis continuetur; duobus iudicibus Nobilium Comitatus Zagradiensis Laboratoribus, sine etiam extradandarum quietantiarum, praefuturis. Caeterum roboribus in quantum hactenus pro aliis quibusdam Stationibus desecta forent, sub eorum, quorum sunt Sylvae, Custodia relictis. In reliquo praemissa Pallessatarum Subministratio Vallorumque extractio, per Dominos Status et Ordines pro hac duntaxat vice sponte assumpta, ne sive ad alia quaequam onera aut Subsidia extendatur, sive praejudiciosa quaequam aut circa praementionatorum Trium praesidiorum Conservationem, velut per Confiniorum Statum Militarem in se assummi debitam, aut aliorum quorumpiam Locorum et Stationum munitionem, consequentia ullo unquam tempore inferri possit, Domini SS. et OO. per expressum cautum prospectumque esse volunt. Qua etiam ex consideratione summam quoque illam peccuniariam, quam ex postrema Generali Regnorum horum Congregatione titulo doni gratuiti Suae Majestati Sacratissimae demisse obtulerunt Domini SS. et OO., erga clementissimum altefatae Suae Majestatis Sacratissimae eatenus in benigno Mandato sub 14. Mensis Januarij Anni currentis emanato expressum annutum Statui Militari Confiniario per Generalem Regni Exactorem eo fine Consignandam determinarunt Domini SS. et OO., quo expensae in praemisso labore nefors necessariae ad vires ejusdem summae exinde fieri possint. Intuitu vero omnium praemissorum demissam Suae Majestati Sacratissimae relationem submittendam Statuerunt Domini Status et Ordines.

Articulus Sextus.

De decem Millionibus mutuo levandis.

Benignae Suae Majestatis Sacratissimae Patentales, intuitu levandorum mutuo ad fidem Regni Hungariae et partium eidem adnexarum publicam decem Millionum emanatae, una cum assecuratorijs Regijs, Comiti Regni Hungariae Palatino totique Regno datis, lectae atque publicatae fuerunt; Domini nihilominus Status et Ordines declarationi suae in humillima repraesentatione sua eatenus submissa factae firmiter inhaerent.

Articulus Decimus.

De electo novo Confiniorum Regni Commissario.

Post acceptatam Domini Stephani Markovcsics resignationem, erga factam per Suam Excellentiam Banalem Candidationem Dominus Nicolaus Plepelics in Commissarium Regni in Confiniis Banalibus electus est, solitum eatenus Juramentum coram Magistro Prothonotario nuncupaturus, et Salarium 500 fl. annue habiturus.

(Caeteris exmissis.)

Originale in Archivo Regni Croatiae.